



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XXXVIII. Quod religiosi posseßionati, quolibet anno admoneantur, vt  
reddant computum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

les ad opus concubinarum vel filiorum suorum non emant , nec etiam domos ad opus earum construant in fundo laicali ; sed nec etiam pecuniam ministrent ad huiusmodi emenda ad opus earum , vti sic eis subtrahatur occasio malignandi. Si quis autem super hoc habeatur suspectus iusta ratione , nisi ad arbitrium superioris se purgauerit , ipsius arbitrio puniatur. Item vt melius gerantur omnia , si exterior administratio claustralium responderit rite quieti , statuimus vt tam obedientiales rerum monasterii , quam prælati maiores , quatenus vel bis ad minus in anno coram superioribus iuxta monasterii consuetudinem reddant de receptis & expensis rationem : ad hoc enim prælatos illos ex ista constitutione volumus obligari , qui possessiones habent a monachis vel canonicis separatas.

## X X X V I I I .

Ad hæc , quoniam sexum muliebrem contra versutjam hostis antiqui minus fortem multipli remedio necesse est communiri , decernimus vt moniales , & ceteræ mulieres diuino cultui dedicatæ , velum vel peplum sericum non habeant , nec in velo acus argenteas vel aureas audeant deportare , nec ipsæ vel monachi vel canonici regulares zonas sericas auri vel argenti ornamenta habentes : nec de cetero \* burneta vel aliquo panno irregulare vtantur. Metiantur etiam iuxta \* diminutionem corporum vestem suam , ita quod longitudinem corporum non excedat , sed pede decenter superducto , sufficiat eis , cum Ioseph indutus legatur ueste talari. Et sola monialis consecrata deferat annulum ,

HONORIVS P. III. OXONIENSE. FRIDERICVS II. IMP.  
HENRICVS III. R. ANGLIE. 257

ANNO CHRISTI  
1221 nulum, & vno solo sit contenta. Si qua autem contra hanc nostram prohibitionem venire præsumperit, & commonita se non correxerit, regulari subiaceat disciplinæ.

X X X I X.

Præterea statuimus, præsenti Concilio approbante, vt decetero pro receptione alicuius in dominum religionis pecuniam aut quidquid aliud extorquere non præsumant: adeo vt si præ paupertate domus debeat vestire scipsum, prætextu vestium, ultra iustum premium earum, ab eo nihil penitus recipiatur.

X L.

Nunc ergo videamus euangelicæ legis sectatores: cum non nisi in vinea laboranti retributionis denarius sit porrigendus, nec nisi qui altari deseruit de altari viuere debeat, statuimus vt ecclesiæ certis personis deputatae nulli dentur ad firmam, nisi forte iusta causa fuerit, & a suo episcopo approbata, & vt ita de eius consensu alicui personæ honestæ & ordinatæ detur ad firmam, de quo verisimiliter præsumi debeat, quod fructus ecclesiæ in bonos usus conuertat.

X L I.

Item vt versutiis & calliditatibus aliquorum obuiemus, qui in fraudem generalis constitutionis nouas quasdam adinuentiones fingere moluntur, statuimus vt non liceat alicui aliquem assignare in ecclesia quidquam nomine beneficii,\* quia hoc ei liceat obtainere cum alio beneficio cui animarum cura fuerit annexa.

*Concil. Tom. 28.*

Kk